
Concours d'entrée 2023

Annexe sujets

Latin
Toutes Séries



Tite-Live, *Ab Vrbe Condita*, livre 1
1.9-2.6, de *inde* à *appellant*

⁹inde foedus ictum inter duces¹, inter exercitus salutationem factam ; Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio ; ibi Latinum apud Penates deos domesticum publico adiunxisse foedus, filia Aeneae in matrimonium data. ¹⁰Ea res utique Troianis spem adfirmat tandem stabili certa que sede finiendi erroris. Oppidum condunt ; Aeneas ab nomine uxoris Lauinium appellat. ¹¹Breui stirpis quoque uirilis ex nouo matrimonio fuit, cui Ascanium parentes dixere nomen.

II. ¹Bello deinde Aborigines Troianique petiti. Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lauinia ante aduentum Aeneae fuerat, praelatum sibi aduenam aegre patiens simul Aeneae Latinoque bellum intulerat. ²Neutra acies laeta ex eo certamine abiit : uicti Rutuli ; uictores Aborigines Troianique ducem Latinum amisere. ³Inde Turnus Rutulique diffisi rebus ad florentes opes Etruscorum Mezentiumque regem eorum confugiunt, qui Caere opulento tum oppido imperitans, iam inde ab initio minime laetus nouae origine urbis et tum nimio plus quam satis tutum esset accolis rem Troianam crescere ratus, haud grauatim socia arma Rutulis iunxit. ⁴Aeneas aduersus tanti belli terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret nec sub eodem iure solum sed etiam nomine omnes essent, Latinos utramque gentem appellauit ; ⁵nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Aeneam cessere. Fretusque his animis coalescentium in dies magis duorum populorum Aeneas, quamquam tanta opibus Etruria erat ut iam non terras solum sed mare etiam per totam Italiae longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum fama nominis sui implesset, tamen, cum moenibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. ⁶Secundum inde proelium Latinis, Aeneae etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcumque eum dici ius fasque est, super Numicum flumen : Iouem Indigetem appellant.

¹*duces* désigne Énée, chef des Troyens, et Latinus, roi des Laurentes.

Tite-Live, *Ab Vrbe Condita*, livre 1
10.1-7, de *Iam admodum à sacratum est*

X. ¹Iam admodum mitigati animi raptis erant ; at raptarum parentes tum maxime sordida ueste lacrimisque et querellis ciuitates concitabant. Nec domitantum indignationes continebant, sed congregabantur undique ad T. Tatium regem Sabinorum ; et legationes eo, quod maximum Tati nomen in iis regionibus erat, conueniebant. ²Caeninenses Crustumini et Antemnates erant ad quos eius iniuriae pars pertinebat. Lente agere his Tatius Sabinique uisi sunt : ipsi inter se tres populi communiter bellum parant. ³Ne Crustumini quidem atque Antemnates pro ardore iraque Caeninensium satis se impigre mouent ; ita per se ipsum nomen Caeninum in agrum Romanum impetum facit. ⁴Sed effuse uasantibus fit obuius cum exercitu Romulus leuique certamine docet uanam sine uiribus iram esse : exercitum fundit fugatque, fusum persequitur ; regem in proelio obruncat et spoliat ; duce hostium occiso urbem primo impetu capit. ⁵Inde exercitu uictore reducto, ipse cum factis uir magnificus tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium escendit ; ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designauit templo Iouis finis cognomenque addidit deo : ⁶« Iuppiter Feretri, inquit, haec tibi uictor Romulus rex regia arma fero, templumque his regionibus quas modo animo metatus sum dedico, sedem opimis spoliis quae regibus ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posterius ferent. » ⁷Haec templi est origo quod primum omnium Romae sacratum est.

Tite-Live, *Ab Vrbe Condita*, livre 1
16.1-8, de *His immortalibus* à *lenitum sit*

XVI. ¹His immortalibus editis operibus, cum ad exercitum recensendum contionem in campo ad Caprae paludem haberet,¹ subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo ut conspectum eius contioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. ²Romana pubes, sedato tandem pauore postquam ex tam turbido die serena et tranquilla lux rediit, ubi uacuum sedem regiam uidit, etsi satis credebat patribus qui proximi steterant sublimem raptum procella, tamen uelut orbitatis metu icta maestum aliquamdiu silentium obtinuit. ³Deinde, a paucis initio facto, 'deum deo natum, regem parentemque urbis Romanae saluere' uniuersi Romulum iubent; pacem precibus exposcunt, 'uti uolens propitius suam semper sospitet progeniem'. ⁴Fuisse credo tum quoque aliquos qui disceptum regem patrum manibus taciti arguerent: manauit enim haec quoque perobscura fama; illam alteram admiratio uiri et pauor praesens nobilitauit. ⁵Et consilio etiam unius hominis addita rei dicitur fides. Namque Proculus Iulius, sollicita ciuitate desiderio regis et infensa patribus, grauis, ut traditur, quamuis magnae rei auctor in contionem prodit. ⁶« Romulus, inquit, Quirites, parens urbis huius, prima hodierna luce caelo repente delapsus se mihi obuium dedit. Cum perfusus horrore uenerabundusque adstissem petens precibus ut contra intueri fas esset, ⁷« Abi, nuntia », inquit, « Romanis, caelestes ita uelle ut mea Roma caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant sciantque et ita posteris tradant nullas opes humanas armis Romanis resistere posse ». Haec, inquit, locutus sublimis abiit. » ⁸Mirum quantum illi uiro nuntianti haec fides fuerit quamque desiderium Romuli apud plebem exercitumque facta fide immortalitatis lenitum sit.

¹ Le sujet de *haberet* est Romulus.

Tite-Live, *Ab Vrbe Condita*, livre 1
25.3-12, de *Nec his à spoliat*

Nec his nec illis* periculum suum, publicum imperium seruitiumque obuersatur animo futuraque ea deinde patriae fortuna quam ipsi fecissent. ⁴Vt primo statim concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit et neutro inclinata spe torpebat uox spiritusque. ⁵Consertis deinde manibus, cum iam non motus tantum corporum agitatioque anceps telorum armorumque sed uolnera quoque et sanguis spectaculo essent, duo Romani super alium alius, uolneratis tribus Albanis, expirantes corruerunt. ⁶Ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes uice unius quem tres Curiatii circumsteterant. ⁷Ferte is integer fuit, ut uniuersis solus nequam par, sic aduersus singulos ferox. Ergo ut segregaret pugnam eorum capessit fugam, ita ratus secuturos ut quemque uolnere adfectum corpus sineret. ⁸Iam aliquantum spatii ex eo loco ubi pugnatum est aufugerat, cum respiciens uidet magnis interuallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu rediit ; ⁹et, dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis uti opem ferant fratri, iam Horatius caeso hoste uictor secundam pugnam petebat. Tunc clamore qualis ex insperato fauentium solet Romani adiuuant militem suum ; et ille defungi proelio festinat. ¹⁰Prius itaque quam alter — qui nec procul aberat — consequi posset, et alterum Curiatium conficit. ¹¹Iamque aequato Marte singuli supererant, sed nec spe nec uiribus pares : alterum intactum ferro corpus et geminata uictoria ferocem in certamen tertium dabat ; alter fessum uolnere, fessum cursu trahens corpus uictusque fratrum ante se strage uictori obicitur hosti. Nec illud proelium fuit. ¹²Romanus exsultans « Duos, inquit, fratrum manibus dedi ; tertium causae belli huiusce, ut Romanus Albano imperet, dabo. » Male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit, iacentem spoliat.

* *His et illis* désignent les Horaces et les Curiaces.

Tite-Live, *Ab Vrbe Condita*, livre 1
26.7-13, de *hac lege* à *uocant*

7Hac lege*

duumviri creati, qui se absoluere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cum condemnassent, tum alter ex iis : « Publi Horati, tibi perduellionem iudico, inquit. I, lictor, colliga manus. » *Accesserat lictor iniciabatque laqueum. Tum Horatius auctore Tullo, clemente legis interprete : « Pronoco », inquit. Ita de prouocatione certatum ad populum est. ⁹Moti homines sunt in eo iudicio maxime P. Horatio patre proclamante ' se filiam iure caesam iudicare ; ni ita esset, patrio iure in filium animaduersurum fuisse '. Orabat deinde ' ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbem liberis facerent '. ¹⁰Inter haec senex iuuenem amplexus, spolia Curiatorum fixa eo loco qui nunc Pila Horatia appellatur ostentans, « Huncine, aiebat, quem modo decoratum ouantemque uictoria incedentem uidistis, Quirites, eum sub furca uinctum inter uerbera et cruciatus uidere potestis? quod uix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. ¹¹I, lictor, colliga manus quae paulo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis huius ; arbore infelici suspende ; uerbera uel intra pomerium, modo inter illa pila et spolia hostium, uel extra pomerium, modo inter sepulcra Curiatorum. Quo enim ducere hunc iuuenem potestis ubi non sua decora eum a tanta foeditate supplicii uindicerent? » ¹²Non tulit populus nec patris lacrimas nec ipsius parem in omni periculo animum ; absolueruntque admiratione magis uirtutis quam iure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri ut filium expiaret, pecunia publica. ¹³Is, quibusdam piacularibus sacrificiis factis quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmissa per uiam tigillo, capite adoperto uelut sub iugum misit iuuenem. Id hodie quoque publice semper reffectum manet : sororium tigillum uocant.

* Cette loi stipule qu'un crime d'État (*perduellio*) doit être jugé par deux *duumviri*.

Tite-Live, *Ab Vrbe Condita*, livre 1
34.5-12, de *Spernentibus* à *institueretur*

¶⁵Spernentibus Etruscis Lucumonem exsule aduena ortum, ferre indignitatem non potuit*, oblitaque ingentiae erga patriam caritatis dummodo uirum honoratum uideret, consilium migrandi ab Tarquiniis cepit. ⁶Roma est ad id potissima uisa : 'in nouo populo, ubi omnis repentina atque ex uirtute nobilitas sit, futurum locum forti ac strenuo uiro ; regnasse Tatium Sabinum, arcessitum in regnum Numam a Curibus, et Ancum Sabina matre ortum nobilemque una imagine Numae esse'. ⁷Facile persuadet ut cupido honorum et cui Tarquini materna tantum patria esset. Sublatis itaque rebus amigrant Romam. ⁸Ad Ianiculum forte uentum erat ; ibi ei carpento sedenti cum uxore aquila suspensis demissa leuiter alis pileum aufert, superque carpentum cum magno clangore uolitans rursus uelut ministerio diuinitus missa capiti apte reponit ; inde sublimis abiit. ⁹Accepisse id augurium laeta dicitur Tanaquil, perita, ut uolgo Etrusci, caelestium prodigiorum mulier. Excelsa et alta sperare complexa uirum iubet : 'eam alitem ea regione caeli et eius dei nuntiam uenisse ; circa summum culmen hominis auspiciam fecisse ; leuasse humano superpositum capiti decus ut diuinitus eidem redderet'. ¹⁰Has spes cogitationesque secum portantes urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato L. Tarquinius Priscum edidere nomen. ¹¹Romanis conspicuum eum nouitas diuitiaeque faciebant ; et ipse fortunam benigno adloquio, comitate inuitandi beneficiisque quos poterat sibi conciliando adiuuabat, donec in regiam quoque de eo fama perlata est. ¹²Notitiamque eam breui apud regem liberaliter dextereque obeundo officia in familiaris amicitiae adduxerat iura, ut publicis pariter ac priuatis consiliis bello domique interesset et per omnia expertus postremo tutor etiam liberis regis testamento institueretur.

* Le sujet de *potuit* est Tanaquil.

Virgile, *Géorgiques*, III, 10-41

- 10 Primus ego in patriam mecum, modo uita supersit,
Aonio rediens deducam uertice Musas ;
primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas ;
et uiridi in campo templum de marmore ponam
propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
- 15 Mincius et tenera praetexit harundine ripas.
In medio mihi Caesar erit templumque tenebit.
Illi uictor ego et Tyrio conspectus in ostro
centum quadriugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi
- 20 cursibus et crudo decernet Graecia caestu.
Ipse caput tonsae foliis ornatus oliuae
dona feram. Iam nunc sollemnis ducere pompas
ad delubra iuuat caesosque uidere iuuenos,
uel scaena ut uersis discedat frontibus utque
- 25 purpurea intexti tollant aulaea Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam uictorisque arma Quirini
atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac nauali surgentis aere columnas.
- 30 Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentemque fuga Parthum uersisque sagittis
et duo rapta manu diuerso ex hoste tropaea
bisque triumphatas utroque ab litore gentis.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
- 35 Assaraci proles demissaeque ab Ioue gentis
nomina Trosque parens et Troiae Cynthus auctor.
Inuidia infelix Furias amnemque seuerum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
immanemque rotam et non exsuperabile saxum.
- 40 Interea Dryadum siluas saltusque sequamur
intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa.

Virgile, *Géorgiques*, III, 163-195

Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
iam uitulos hortare uiamque insiste domandi,
165 dum faciles animi iuuenum, dum mobilis aetas.
Ac primum laxos tenui de uimine circlos
ceruici subnecte : dehinc, ubi libera colla
seruitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
iunge pares, et coge gradum conferre iuencos ;
170 atque illis iam saepe rotae ducantur inanes
per terram et summo uestigia puluere signent ;
post ualido nitens sub pondere faginus axis
instrepat et iunctos temo trahat aereus orbis.
Interea pubi indomitae non gramina tantum
175 nec uescas salicum frondis uluamque palustrem,
sed frumenta manu carpes sata ; nec tibi fetae
more patrum niuea implebunt multraria uaccae,
sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium turmasque ferocis
180 aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae,
et Iouis in luco currus agitare uolantis,
primus equi labor est animos atque arma uidere
bellantum lituosque pati tractuque gementem
ferre rotam et stabulo frenos audire sonantis,
185 tum magis atque magis blandis gaudere magistri
laudibus et plausae sonitum ceruicis amare.
Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris
audeat inque uicem det mollibus ora capistris
inualidus etiamque tremens, etiam inscius aeui.
190 At tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
compositis sinuetque alterna uolumina crurum
sitque laboranti similis ; tum cursibus auras,
tum uocet, ac per aperta uolans ceu liber habenis
195 aequora uix summa uestigia ponat harena.

Virgile, *Géorgiques*, III, 209-241

- 210 Sed non ulla magis uiris industria firmat
quam Venerem et caeci stimulos auertere amoris,
siue boum siue est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
pascua post montem oppositum et trans flumina lata,
aut intus clausos satura ad praesepia seruant.
- 215 Carpit enim uiris paulatim uritque uidendo
femina nec nemorum patitur meminisse nec herbae
dulcibus illa quidem illecebris et saepe superbos
cornibus inter se subigit decernere amantis.
Pascitur in magna Sila formosa iuuenca :
- 220 illi alternantes multa ui proelia miscent
uolneribus crebris ; lauit ater corpora sanguis,
uersaque in obnixos urgentur cornua uasto
cum gemitu : reboant siluaeque et longus Olympus.
Nec mos bellantis una stabulare ; sed alter
- 225 uictus abit longeque ignotis exsulat oris
multa gemens ignominiam plagasque superbi
uictoris, tum quos amisit inultus amores :
et stabula adspectans regnis excessit auitis.
Ergo omni cura uiris exercet et inter
- 230 dura iacet pernix instrato saxa cubili
frondibus hirsutis et carice pastus acuta,
et temptat sese atque irasci in cornua discit
arboris obnixus trunco, uentosque lacessit
ictibus et sparsa ad pugnam proludit harena.
- 235 Post, ubi collectum robur uiresque relectae,
signa mouet praecepsque oblitum fertur in hostem ;
fluctus uti, medio coepit cum albescere ponto,
longius ex altoque sinum trahit, utque uolutus
ad terras immane sonat per saxa neque ipso
- 240 monte minor procumbit, at ima exaestuauit unda
uerticibus nigramque alte subiectat harenam.

Virgile, *Géorgiques*, III, 352-383

Illic¹ clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
aut herbae campo apparent aut arbore frondes ;
sed iacet aggeribus niueis informis et alto
355 terra gelu late, septemque assurgit in ulnas.
Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentis haud umquam discutit umbras,
nec cum inuectus equis altum petit aethera, nec cum
praecipitem Oceani rubro lauit aequore currum.
360 Concresecunt subitae currenti in flumine crustae
undaque iam tergo ferratos sustinet orbis,
puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris ;
aeraque dissiliunt uolgo, uestesque rigescunt
indutae, caeduntque securibus umida uina,
365 et totae solidam in glaciem uertere lacunae,
stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non setius aere ningit :
intereunt pecudes ; stant circumfusa pruinis
corpora magna boum, confertoque agmine cerui
370 torpent mole noua et summis uix cornibus exstant.
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis
puniceaeue agitant pauidos formidine pinnae ;
sed frustra oppositum trudentis pectore montem
comminus obruncant ferro grauiterque rudentis
375 caedunt et magno laeti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secreta sub alta
otia agunt terra congestaque robora totasque
aduoluere focis ulmos ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt et pocula laeti
380 fermento atque acidis imitantur uitea sorbis.
Talis Hyperboreo Septem subiecta trioni
gens effrena uirum Riphaeo tunditur Euro
et pecudum fuluis uelatur corpora saetis.

¹ *Illic* désigne la Scythie.

Virgile, *Géorgiques*, III, 440-473

- Morborum quoque te causas et signa docebo.
Turpis ouis temptat scabies, ubi frigidus imber
altius ad uivom persedit et horrida cano
bruma gelu, uel cum tonsis illotus adhaesit
sudor et hirsuti secuerunt corpora uepres.
- 445 Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri
perfundunt udisque aries in gurgite uillis
mersatur missusque secundo defluit amni,
aut tonsum tristi contingunt corpus amurca
et spumas miscent argenti uiuaque sulphura
- 450 Idaeasque pices et pinguis unguine ceras
scillamque elleborosque grauis nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est
quam si quis ferro potuit rescindere summum
ulceris os : alitur uitium uiuitque tegendo,
- 455 dum medicas adhibere manus ad uolnera pastor
abnegat aut meliora deos sedet omnia poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
cum furit atque artus depascitur arida febris,
profuit incensos aestus auertere et inter
- 460 ima ferire pedis salientem sanguine uenam,
Bisaltae quo more solent acerque Gelonus,
cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum
et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere saepius umbrae
- 465 uideris aut summas carpentem ignauius herbas
extremamque sequi aut medio procumbere campo
pascentem et serae solam decedere nocti,
continuo culpam ferro compesce, priusquam
dira per incautum serpant contagia uolgu.
- 470 Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo
quam multae pecudum pestes. Nec singula morbi
corpora corripiunt, sed tota aestiua repente,
spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.

Virgile, *Géorgiques*, III, 515-547

- 515 Ecce autem duro fumans sub uomere taurus
concidit et mixtum spumis uomit ore cruorem
extremosque ciet gemitus. It tristis arator
maerentem abiungens fraterna morte iuuenum
atque opere in medio defixa relinquit aratra.
- 520 Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
prata mouere animum, non qui per saxa uolutus
purior electro campum petit amnis ; at ima
soluuntur latera atque oculos stupor urget inertis
ad terramque fluit deuexo pondere ceruix.
- 525 Quid labor aut benefacta iuuant ? Quid uomere terras
inuertisse grauis ? Atqui non Massica Bacchi
munera, non illis epulae nocuere repostae :
frondibus et uictu pascuntur simplicis herbae,
pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu
- 530 flumina ; nec somnos abrumpit cura salubris.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
quaesitas ad sacra boues Iunonis et uris
imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo aegre rastris terram rimantur et ipsi
- 535 unguibus infodiunt fruges montisque per altos
contenta ceruice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ouilia circum
nec gregibus nocturnus obambulat : acrior illum
cura domat ; timidi dammae ceruique fugaces
- 540 nunc interque canes et circum tecta uagantur.
Iam maris immensi prolem et genus omne natantum
litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
proluit ; insolitae fugiunt in flumina phocae.
Interit et curuis frustra defensa latebris
- 545 uipera et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aer auibus non aequos et illae
praecipites alta uitam sub nube relinquunt.

LE LION D'ANDROCLES

Un jour, au cirque, un jeune esclave, Androclès, est épargné par un lion. Alors que l'empereur lui demande la raison de ce miracle, Androclès raconte comment il a rencontré ce lion, des années auparavant, en Afrique.

« Tum sole medio », inquit, « rabido et flagranti specum¹ quandam nactus remotam latebrosamque in eam me penetrao et recondo. Neque multo post ad eandem specum uenit hic leo debili uno et cruento pede gemitus edens [...]. » Atque illic primo quidem conspectu aduenientis leonis territum sibi et pauefactum animum dixit. « Sed postquam introgressus », inquit, « leo, uti re ipsa apparuit², in habitaculum illud suum, uidet me procul delitescens, mitis et mansues accessit et sublatum pedem ostendere mihi et porrigere quasi opis petendae gratia uisus est. Ibi », inquit, « ego stirpem ingentem uestigio pedis eius haerentem reuelli [...]. Illa tunc mea opera et medella³ leuatus pede in manibus meis posito recubuit et quieuit, atque ex eo die triennium totum ego et leo in eadem specu eodemque et uictu uiximus ».

Aulu-Gelle, *Nuits attiques* 5, 14

¹ Le nom *specus, us*, généralement masculin, peut également être féminin. C'est le cas ici.

² *Vti ipsa re apparuit* est une prolepse : comprendre « *in habitaculum illud suum, uti ipsa re apparuit* ».

³ *Medella* = *medela*.

Amours champêtres (contrariées)

L'éleveur Lycidas supplie la belle Phyllis, qui l'a abandonné pour Mopsus, de revenir sur sa décision.

« Has tibi, Phylli, preces iam pallidus, hos tibi cantus
dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,
dum flet et excusso disperdit lumina somno.
Non sic dstricta macrescit turdus oliua,
non lepus, extremas legulus cum sustulit uuas, 5
ut Lycidas domina sine Phyllide tabidus erro.
Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas
dicere felicem, cui dulcia saepe dedisti
oscula nec medios dubitasti rumpere cantus
atque inter calamos errantia labra petisti. 10
Ah dolor ! Et post haec placuit tibi torrida Mopsi
uox et carmen iners et acerbae stridor auenae ?
Quem sequeris ? Quem, Phylli, fugis ? Formosior illo
dicor, et hoc ipsum mihi tu iurare solebas.
Sum quoque diuitior : certauerit¹ ille tot haedos 15
Pascere quot nostri numerantur uespere tauri.
Quid tibi, quae nosti, referam ? Scis, optima Phylli,
quam numerosa meis siccetur bucula mulctris
et quam multa suos suspendat ad ubera natos. »

CALPURNIUS SICULUS, *Bucoliques*, III

¹ *Certauerit* : subj. parfait d'affirmation atténuée.

Sujet : Les poulets sacrés (Cicéron, *De la divination*)

Dans ce passage du De diuinatione, Cicéron se moque de certaines prises d'auspices auprès des animaux, notamment lorsque le comportement de ces derniers est contraint. Il s'intéresse ici au cas des poulets et de l'auspice associé, le tripudium solistimum.

Haec sunt igitur aues internuntiae louis ! Quae pascantur necne, quid refert ? Nihil ad auspicia ; sed quia, cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere et terram pauire [...], cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum¹ nuntiatur. Ergo hoc auspiciu diuini quicquam habere potest, quod tam sit coactum et expressum ? Quo antiquissimos augures non esse usos argumento est, quod decretum collegii uetus habemus omnem auem tripudium facere posse. Tum igitur esset auspiciu si modo esset ei liberum se ostendisse ; tum auis illa uideri posset interpres et satelles louis ; nunc uero inclusa in cauea et fame enecta si in offam pultis inuadit, et si aliquid ex eius ore cecidit, hoc tu auspiciu aut hoc modo Romulum auspicari solitu putas ?

Cicéron, *De diuinatione* 2, 72-73

¹ *Tripudium solistimum* : nom du présage retenu par celui qui prend l'auspice dans ce cas. Inutile de traduire.

La hiérarchie naturelle des êtres vivants

Facilius uero etiam in bestiis, quod is sensus a natura est datus, uis ipsius naturae perspicui potest. Namque alias bestias nantis aquarum incolas esse uoluit, alias uolucres caelo frui libero, serpentis quasdam, quasdam esse gradientis ; earum ipsarum partim soliuagas, partim congregatas, inmanis alias, quasdam autem cicures, non nullas abditas terraque tectas. Atque earum quaeque suum tenens munus, cum in disparis animantis uitam transire non possit, manet in lege naturae. Et ut bestiis aliud alii praecipui a natura datum est, quod suum quaeque retinet nec discedit ab eo, sic homini multo quiddam praestantius ; etsi praestantia debent ea dici quae habent aliquam comparationem, humanus autem animus decerptus ex mente diuina cum alio nullo nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest.

CICERON, *Tusculanes*, V, 13

Sujet : Hercule et Épicure (Lucrèce, *De la nature*)

Faisant l'éloge d'Épicure, le poète Lucrèce montre que l'œuvre de ce dernier, c'est-à-dire la découverte de la sagesse, est de loin plus remarquable que ce qu'a pu faire Hercule, qui n'a fait que tuer des animaux somme toute peu menaçants pour l'humanité.

At bene non poterat sine puro pectore uiui ;
 quo magis hic¹ merito nobis deus esse uidetur,
 ex quo nunc etiam per magnas didita gentis
 dulcia permulcent animos solacia uitae.
 Herculis antistare autem si facta putabis, 5
 longius a uera multo ratione ferere².
 Quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
 ille leonis obsesset et horrens Arcadius sus,
 tanto opere officerent nobis Stymphala colentes ?
 Denique quid Cretae taurus Lernaeaque pestis 10
 hydra uenenatis posset uallata colubris ? [...]
 Cetera de genere hoc quae sunt portenta perempta,
 si non uicta forent³, quid tandem uiua nocerent ?
 Nil, ut opinor : ita ad satiatem terra ferarum
 nunc etiam scatit et trepido terrore repleta est 15
 per nemora ac montes magnos siluasque profundas.
 Quae loca uitandi plerumque est nostra potestas.

Lucrèce, *De rerum natura* 5, 18-27 et 37-44

¹ C'est-à-dire Épicure.

² *Ferere* = *fereris*.

³ *Forent* = *essent*.

Le petit d'homme, le plus faible des animaux ?

Praeterea genus horriferum natura ferarum
humanae genti infestum terraque marique
cur alit atque auget ? Cur anni tempora morbos
adportant ? Quare mors inmatura uagatur ?
Tum porro puer, ut saeuis proiectus ab undis 5
nauita¹, nudus humi iacet, infans, indigus omni
uitali auxilio, cum primum in luminis oras
nixibus ex aluo matris natura profudit,
uagituque locum lugubri complet, ut aecumst²
cui tantum in uita restet transire malorum. 10
At uariae crescunt pecudes armenta feraeque
nec crepitacillis³ opus est, nec cuiquam adhibendast⁴
almae nutricis blanda atque infracta loquela,
nec uarias quaerunt uestes pro tempore caeli,
denique non armis opus est, non moenibus altis, 15
qui⁵ sua tutentur, quando omnibus omnia large
tellus ipsa parit naturaque daedala rerum.

LUCRECE, *De la nature*, V, 218-234

¹ = *nauta*.

² = *aequum est*.

³ *Crepitacillum*, i, n. : petite crécelle, hochet.

⁴ = *adhibenda est*.

⁵ = *quibus*.

Survie des différentes espèces animales

Repassant l'histoire de la création, Lucrèce explique comment on est passé d'un état de diversité foisonnante d'espèces animales, dont peu étaient viables, à l'état actuel.

Multaque tum interiisse animantum saecula necessest¹,
nec potuisse propagando procudere prolem.
Nam quaecumque uides uesci uitalibus auris,
aut dolus aut uirtus² aut denique mobilitas est
ex ineunte aeuo³ genus id tutata reseruans. [...] 5
Principio genus acre leonum saeuoque saecula
tutatast⁴ uirtus, uolpes dolus et fuga ceruos.
At leuisomna canum fido cum pectore corda,
et genus omne quod est ueterino semine partum
lanigeraeque simul pecudes et bucera⁵ saecula 10
omnia sunt hominum tutelae tradita, Memmi.
Nam cupide fugere feras pacemque secutae
sunt et larga suo sine pabula parta labore,
quae damus utilitatis eorum praemia causa.
At quis⁶ nil horum tribuit natura, nec ipsa 15
sponte sua possent ut uiuere nec dare nobis
utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
praesidio nostro pasci genus esseque tutum,
scilicet haec aliis praedae lucroque iacebant.

LUCRECE, *De la nature*, V, 855-859 et 861-875.

¹ = *necesse est*.

² Ici « énergie, force, puissance physique ».

³ *Ex ineunte aeuo* : « dès l'origine ».

⁴ = *tutata est*.

⁵ *Bucerus, a, um* : « doté de cornes de bœuf, cornu à la manière des bœufs ».

⁶ = *quibus*.

Les animaux hybrides n'ont pu exister

Le poète vient d'expliquer pour quelles raisons l'existence d'êtres vivants tenant de diverses natures, comme les centaures ou les chimères, est impossible, même à des périodes très reculées de l'histoire du monde.

Quare etiam tellure noua caeloque recenti
talia qui fingit potuisse animalia gigni,
nixus in hoc uno nouitatis nomine inani,
multa licet simili ratione effutiat ore,
aurea tum dicat per terras flumina uulgo 5
fluxisse et gemmis florere arbusta suesse¹
aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
trans maria alta pedum nisus ut ponere posset,
et manibus totum circum se uertere caelum.
Nam quod multa fuere in terris semina rerum, 10
tempore quo primum tellus animalia fudit,
nil tamen est signi mixtas potuisse creari
inter se pecudes compactaque membra animantum,
propterea quia quae de terris nunc quoque abundant,
herbarum genera ac fruges arbustaque laeta, 15
non tamen inter se possunt complexa creari,
sed res quaeque suo ritu procedit, et omnes
foedere naturae certo discrimina seruant.

LUCRECE, *De la nature*, V, 907-924

¹ = *sueuisse*.

Le perroquet de Corinne

Le poète déplore la mort du perroquet de son amie.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit – exequias ite frequenter, aues !
Ite, piae uolucres, et plangite pectora pinnis
et rigido teneras ungue notate genas ;
horrida pro maestis lanietur pluma capillis, 5
pro longa resonent carmina uestra tuba !
Quod scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni,
expleta est annis ista querela suis ;
alitis in rarae miserum deuertere funus –
magna, sed antiqua est causa doloris Itys. 10
Omnes, quae liquido libratis in aere cursus,
tu tamen ante alios, turtur amice, dole !
Plena fuit uobis omni concordia uita,
et stetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico iuuenis Phoceus Orestae, 15
hoc tibi, dum licuit, psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides, quid rari forma coloris,
quid uox mutandis ingeniosa sonis,
quid iuuat, ut datus es, nostrae placuisse puellae ?
Infelix, auium gloria, nempe iaces ! 20

OVIDE, *Amours*, II, 6, vv. 1-20

Sujet : La métamorphose de Lycaon (Ovide, *Métamorphoses*)

Puni pour avoir offensé Jupiter, Lycaon est transformé en loup.

Nocte grauem¹ somno necopina perdere morte
comparat : haec illi placet experientia ueri ;
nec contentus eo, missi de gente Molossa
obsidis unius iugulum mucrone resoluit
atque ita semineces partim feruentibus artus 5
mollit aquis, partim subiecto torruit igni.
Quod simul inposuit mensis, ego uindice flamma
in domino dignos euerti tecta penates ;
territus ipse fugit nactusque silentia ruris
exululat frustra que loqui conatur : ab ipso 10
colligit os rabiem solitaeque cupidine caedis
uertitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.
In uillos abeunt uestes, in crura lacerti :
fit lupo et ueteris seruat uestigia formae ;
canities eadem est, eadem uiolentia uultus, 15
idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.
Occidit una domus, sed non domus una perire
digna fuit : qua terra patet, fera regnat Erinys.

Ovide, *Métamorphoses* 1, 224-242

¹ Sous-entendre *me*. C'est Jupiter qui parle.

Le châtimeut des pirates

Alors qu'il se promène près du rivage, un groupe de pirates tyrrhéniens enlève Bacchus, pensant tirer de lui une lourde rançon. Mais le dieu ne se laisse pas faire et punit l'ensemble des pirates à l'exception de l'un d'eux, Acétès, qui raconte la scène.

Exsiluere uiri, siue hoc insania fecit
siue timor, primusque Medon¹ nigrescere toto
corpore et expresso spinae² curuamine flecti
incipit. Huic Lycabas¹ : « in quae miracula, dixit,
uerteris ? » et lati rictus³ et panda loquenti
naris erat, squamamque cutis durata trahebat.
At Libys¹, obstantes dum uult obuertere remos,
in spatium resilire manus breue uidit et illas
iam non esse manus, iam pinnas posse uocari.
Alter ad intortos cupiens dare bracchia funes
bracchia non habuit truncoque repandus in undas
corpore desiluit : falcata nouissima cauda est,
qualia diuiduae sinuantur cornua lunae.
Vndique dant saltus multaque adspergine rorant
emerguntque iterum redeuntque sub aequora rursus
inque chori ludunt speciem lasciuaque iactant
corpora et acceptum patulis mare naribus efflant.
De modo uiginti (tot enim ratis illa ferebat)
restabam solus.

OVIDE, *Métamorphoses*, III, 670-688.

¹ Noms de divers pirates du groupe.

² *Spina, ae, f.* : l'épine dorsale, le dos.

³ *Rictus, us, m.* : museau, gueule.

Sujet : Condamnation des sacrifices animaux par Pythagore (Ovide, *Métamorphoses*)

Le philosophe Pythagore professait la théorie de la métempsychose, c'est-à-dire du passage de l'âme éternelle de corps en corps au fil des réincarnations. Une âme humaine pouvant se trouver réincarnée en animal, Pythagore interdisait la consommation de viande et les sacrifices animaux.

Longius inde nefas abiit, et prima putatur
 hostia sus meruisse mori, quia semina pando
 eruerit rostro spemque interceperit anni ;
 uite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
 ducitur ultoris¹ : nocuit sua culpa duobus ! 5

Quid meruistis oues, placidum pecus inque tuendos
 natum homines, pleno quae fertis in ubere nectar,
 mollia quae nobis uestras uelamina lanas
 praebetis uitaque magis quam morte iuuatis ?

Quid meruere boues, animal sine fraude dolisque, 10
 innocuum, simplex, natum² tolerare labores ?
 Inmemor est demum nec frugum munere dignus,
 qui potuit curui dempto modo pondere aratri
 ruricolam mactare suum, qui trita labore
 illa, quibus totiens durum renouauerat aruum, 15
 quot dederat messes, percussit colla securi.
 Nec satis est, quod tale nefas committitur : ipsos
 inscripsere deos sceleri numenque supernum
 caede laboriferi credunt gaudere iuueni !

Ovide, *Métamorphoses* 15, 111-129

¹ *Vltoris* : se rapporte à *Bacchi* : « Bacchus vengeur », « Bacchus désireux de se venger ».

² *Natus, a, um* peut se construire avec un infinitif ; il signifie alors « né pour ».

Sujet : Un loup-garou (Pétrone, *Satiricon*)

Lors du dîner organisé par le riche affranchi Trimalcion, l'un des convives, Nicéros, raconte comment, lorsqu'il était esclave, il a assisté à la transformation de son compagnon de route en loup-garou.

Erat¹ autem miles, fortis tamquam Orcus². Apoculamus nos circa gallicinia, luna lucebat tanquam meridie. Venimus inter monumenta : homo meus coepit ad stelas iter facere, sed ego pergo cantabundus et stelas numero.

Deinde, ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia uestimenta secundum uiam posuit. Mihi anima in naso esse³, stabam tamquam mortuus. At ille circumminxit uestimenta sua, et subito lupo factus est. Nolite me iocari putare ; ut mentiar, nullius patrimonium tanti⁴ facio. Sed, quod coeperam dicere, postquam lupo factus est, ululare coepit et in siluas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem, deinde accessi, ut uestimenta eius tollerem : illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego ? Gladium tamen strinxi et umbras cecidi, donec ad uillam amicae meae peruenirem.

Pétrone, *Satiricon* 62

¹ Le sujet sous-entendu de *erat* est *hospes*, mentionné dans la phrase précédente, qui désigne l'hôte de la maison dans laquelle se trouve alors Nicéros.

² Orcus : divinité infernale, souvent identifiée à Pluton, le dieu des Enfers.

³ *Mihi anima in naso esse* : littéralement « mon âme / mon souffle était dans mon nez », c'est-à-dire « j'étais complètement retourné ».

⁴ *Tanti* : génitif de prix.

Sujet : La fidélité des chevaux (Pline, *Histoire naturelle*)

Dans l' Histoire naturelle, le naturaliste Pline rapporte plusieurs anecdotes relatives à la fidélité des chevaux ; il évoque en particulier le cas de Bucéphale, le fameux cheval d' Alexandre le Grand.

Eidem Alexandro et equi magna raritas contigit. Bucephalan eum uocarunt siue ab aspectu toruo siue ab insigni taurini capitis armo¹ inpressi. XIII talentis ferunt ex Philonici Pharsalii grege emptum, etiam tum puero² capto eius³ decore. Neminem hic alium quam Alexandrum regio instratu ornatus recepit in sedem, alias passim recipiens. Idem in proeliis memoratae cuiusdam perhibetur operae, Thebarum oppugnatione uulneratus in alium transire Alexandrum non passus, multa praeterea eiusdem modi, propter quae rex defuncto ei duxit exequias urbemque tumulo circumdedit nomine eius. Nec Caesaris dictatoris quemquam alium recepisse dorso equus traditur, idemque similes humanis pedes priores habuisse, hac effigie locatus⁴ ante Veneris Genetricis aedem. Fecit et Diuus Augustus equo tumulum, de quo Germanici Caesaris carmen est.

Pline, *Histoire naturelle* 8, 155

¹ *Armo* : de *armus*, *i*, m. : épaule (d'un animal).

² *Puero* : renvoie à Alexandre.

³ *Eius* : renvoie à Bucéphale.

⁴ *Locatus* : participe passé, de *loco*, *are*, placer, établir. Ici, le participe a le sens de « représenté ».

Sujet : Zeuxis et les oiseaux (Pline, *Histoire naturelle*)

Le peintre Parrhasius entreprend de se mesurer à Zeuxis et de faire un tableau plus réaliste que celui-ci. Les deux peintres se prennent au jeu et rivalisent de talent...

Aequales eius¹ et aemuli fuere Timanthes, Androcydes, Eupompus, Parrhasius. Descendisse hic in certamen cum Zeuxide traditur et, cum ille detulisset uuas pictas tanto successu, ut in scaenam aues aduolarent, ipse detulisse linteum pictum ita ueritate repraesentata, ut Zeuxis alitum iudicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse uolucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Fertur et postea Zeuxis pinxisse puerum uuas ferentem, ad quas cum aduolassent aues, eadem ingenuitate processit iratus operi et dixit : « uuas melius pinxi quam puerum, nam si et hoc consummassem, aues timere debuerant. » Fecit et figlina opera, quae sola in Ambracia² relictas sunt, cum inde Musas Fuluius Nobilior Romam transferret³.

Pline, *Histoire naturelle* 35, 65-66

¹ C'est-à-dire Zeuxis.

² La ville grecque d'Ambracie fut prise et pillée en 189 av. J.-C. par les Romains de Marcus Fulvius Nobilior.

³ Allusion à la coutume consistant à transporter à Rome les Muses d'une ville vaincue.

Alexandre et Bucéphale

Tandis qu'il fait la guerre aux Mardes, peuple établi au sud-est des Monts Zagros, Alexandre le Grand fait face à une tactique inattendue : ses ennemis ont protégé leur territoire par une vaste zone d'un épais treillis végétal, qui empêche l'avancée des troupes d'Alexandre, de ses fantassins comme de ses cavaliers, et les laisse à la merci des assaillants.

Ille uenantium modo latibula scrutatus plerosque confodit ; ad ultimum circumire saltum milites iubet ut, si qua pateret, inrumperent. Sed ignotis locis plerique oberrabant, exceptique sunt quidam, inter quos equus regis – Bucephalam uocabant – quem Alexander non eodem quo ceteras pecudes animo aestimabat : namque ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium et regem, cum uellet escendere, sponte genua submittens excipiebat credebaturque sentire quem ueheret. Maiore ergo quam decebat ira simul ac dolore stimulatus equum uestigari iubet, et per interpretem pronuntiari, ni reddidissent, neminem esse uicturum. Hac denuntiatione territi cum ceteris donis equum adducunt. Sed ne sic quidem mitigatus caedi siluas¹ iubet adgestaque humo e montibus planitiem ramis inpeditam exaggerari. Iam aliquantum altitudinis opus creuerat, cum Barbari desperato regionem quam occupauerant posse retineri gentem suam dedidere. Rex obsidibus acceptis Phradati² parere eos iussit.

QUINTE-CURCE, *Histoires*, VI, 5

¹ Il s'agit de l'épais treillis végétal qui protège les Mardes.

² Phradate est un gouverneur local qui accompagne Alexandre.

Sujet : Imiter les abeilles et faire son miel de ses lectures (Sénèque, *Lettres à Lucilius*)

Dans cette lettre, Sénèque explique à Lucilius les bienfaits de la lecture et de l'écriture. Les lectures doivent être variées, afin de permettre à chacun de construire sa propre pensée à partir de celles d'autrui. Il utilise pour cela la comparaison avec les abeilles.

Nec scribere tantum nec tantum legere debemus : altera res contristabit uires et exhauriet (de stilo dico), altera soluet ac diluet. Inuicem hoc et illo commeandum est et alterum altero temperandum, ut quidquid lectione collectum est stilus redigat in corpus. Apes, ut aiunt, debemus imitari, quae uagantur et flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quidquid attulere disponunt ac per fauos digerunt et, ut Vergilius noster ait,

liquentia mella

stipant et dulci distendunt nectare cellas.

[...] Nos quoque has apes debemus imitari et quaecumque ex diuersa lectione conuessimus separare (melius enim distincta seruantur), deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in unum saporem uaria illa libamenta confundere, ut etiam si apparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum est appareat.

Sénèque, *Lettres à Lucilius* 84, 2-5

Sujet : Homme ou animal, il faut vivre conformément à sa nature (Sénèque, Lettres à Lucilius)

Dans cette lettre, le philosophe stoïcien Sénèque explique le principe de la doctrine stoïcienne de l'appropriation (oikeiôsis), qui désigne la faculté, pour tout animal, de « s'approprier » à lui-même, c'est-à-dire de vivre conformément à sa nature et de rechercher ce qui est propre à assurer sa conservation. Il montre que cette faculté est innée chez tous les êtres vivants.

Primum sibi ipsum conciliatur animal ; debet enim aliquid esse ad quod alia referantur. Voluptatem peto. Cui ? Mihi ; ergo mei curam ago. Dolorem refugio. Pro quo ? Pro me ; ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mei cura. Haec animalibus inest cunctis, nec inseritur, sed innascitur. Producit fetus suos natura, non abicit ; et quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. Itaque, ut in prioribus epistulis dixi, tenera quoque animalia et materno utero uel ouo modo effusa quid sit infestum ipsa protinus norunt et mortifera deuitant ; umbram quoque transuolantium reformidant obnoxia¹ aibus raptu uiuentibus. Nullum animal ad uitam prodit sine metu mortis.

Sénèque, *Lettres à Lucilius* 121, 17

¹ *Obnoxia* : adjectif *obnoxius*, *a, um* substantivé. Signifie « ceux qui sont soumis à, les victimes de » (suivi du datif).

Sujet : Présages concernant le futur empereur Auguste (Suétone, *Vie d'Auguste*)

Dans la Vie d'Auguste, l'historien Suétone relate différents présages concernant Octave, alors tout jeune enfant.

Atque etiam sequenti statim nocte uidere uisus est¹ filium mortali specie amplioem, cum fulmine et sceptro exuuiisque louis Optimi Maximi ac radiata corona, super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus. Infans² adhuc, ut scriptum apud C. Drusum exstat, repositus uespere in cunas a nutricula loco plano, postera luce non comparuit diuque quaesitus tandem in altissima turri repertus est iacens contra solis exortum.

Cum primum fari coepisset, in auito suburbano obstrepentis forte ranas silere iussit, atque ex eo negantur ibi ranae coaxare. Ad quartum lapidem Campanae uiae in nemore prandenti ex inproiso aquila panem ei e manu rapuit et, cum altissime euolasset, rursus ex inproiso leniter delapsa reddidit.

Suétone, *Vie d'Auguste* 94

¹ Le sujet est Octavius, le père d'Octave.

² Le sujet est ici Octave.

Un corbeau providentiel

Dans les années 350-340 av. J.-C., les Romains sont toujours en butte aux appétits territoriaux des Gaulois en Italie. Lors d'une ces guerres, menée par le consul Camille dans le sud du Latium, un Romain, Marius Valérius Corvus, se distingua d'une manière inattendue.

Vbi cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus¹ processit magnitudine atque armis insignis ; quatiensque scutum hasta cum silentium fecisset, prouocat per interpretem unum ex Romanis qui secum ferro decernat. M. erat Valerius tribunus militum² adulescens, qui haud indigniorem eo decore se quam T. Manlium³ ratus, prius sciscitatus consulis uoluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito deorum factum : namque conserenti iam manum Romano coruus repente in galea consedit, in hostem uersus. Quod primo ut augurium caelo missum laetus accepit tribunus, precatus deinde, 'si diuus, si diua esset, qui sibi praepetem misisset, uolens propitius adesset'. Dictu mirabile, tenuit non solum ales captam semel sedem⁴, sed, quotienscumque certamen initum est, leuans se alis os oculosque hostis rostro et unguibus appetit, donec territum prodigii talis uisu oculisque simul ac mente turbatum Valerius obruncat.

TITE-LIVE, *Histoire romaine*, VII, 26

¹ = « un Gaulois ».

² *Tribunus (-i, m.) militum* : tribun militaire.

³ T. Manlius Torquatus, qui s'est distingué dans un premier affrontement contre les Gaulois en 361.

⁴ *Captam semel sedem* : « l'emplacement qu'il avait pris initialement ».

Des éléphants sur le Rhône

L'audacieux Hannibal avait décidé d'envahir l'Italie par le nord, en partant d'Espagne ; mais le premier obstacle majeur qu'il rencontre est le Rhône, alors peu aménagé et difficile à traverser, non seulement pour des soldats, mais plus encore pour un escadron d'éléphants. Tite-Live expose alors le débat historique qui se cristallise autour de la méthode employée par le Carthaginois pour faire traverser le fleuve à ses bêtes : il donne ici la version qui lui semble la plus crédible.

Ceterum magis constat ratibus traiectos ; id ut tutius consilium ante rem foret, ita acta re ad fidem pronius est. Ratem unam ducentos longam pedes¹, quinquaginta² latam a terra in amnem porrexerunt, quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus ualidis retinaculis parte superiore ripae religatam pontis in modum humo iniecta constrauerunt ut beluae audacter uelut per solum ingrederentur. Altera ratis aequae lata, longa pedes centum, ad traiciendum flumen apta, huic copulata est ; tres tum elephanti per stabilem ratem tamquam uiam praegredientibus feminis acti ubi in minorem adplicatam transgressi sunt, extemplo resolutis quibus leuiter adnexa erat uinculis, ab actuariis aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahitur ; ita primis expositis, alii deinde repetiti ac traiecti sunt. Nihil sane trepidabant, donec continenti uelut ponte agerentur.

TITE-LIVE, *Histoire romaine*, XXI, 28

¹ Environ 60 m.

² Environ 15 m.

Sujet : **L'origine du proverbe concernant le cheval de Seius**
(Aulu Gelle, *Nuits attiques*, III, 9)

Pourquoi dit-on de quelqu'un qui est poursuivi par la malchance qu'il « a le cheval de Seius ».

Gnaeum Seium quempiam scribunt¹ fuisse eumque habuisse equum natum in terra Graecia [...] Eum equum fuisse dicunt magnitudine inuisitata, ceruice ardua, colore poeniceo, flora et comanti iuba, omnibusque aliis equorum laudibus quoque longe praestitisse ; sed eundem² equum tali fuisse fato siue
5 fortuna ferunt, ut quisquis haberet eum possideretque cum omni domo familia fortunisque omnibus suis ad interneconem deperiret. Itaque³ primum illum Gnaeum Seium, dominum eius, a M. Antonio, qui postea triumvirum reipublicae constituendae fuit, capitis damnatum miserando supplicio
10 proficiscentem fama istius equi adductum Argos⁴ deuertisse cupidineque habendi eius exarsisse emisseque eum sestertiis centum milibus ; sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello ciuili obsessum atque interfectum esse.

¹ Sujet indéfini sous-entendu : « Les gens », « on ».

² *Eundem* = *eundem*

³ Le verbe principal de cette proposition et des suivantes est sous-entendu : *Itaque* (*narrant*).

⁴ Accusatif : désigne la ville d'Argos.

Sujet : **Le cheval d'Alexandre : Bucéphale**
(Aulu Gelle, *Nuits attiques*, V, 2)

Equus Alexandri regis et capite et nomine "Bucephalas" fuit. [...] Super hoc equo dignum memoria visum¹, quod, ubi ornatus erat armatusque ad proelium, haud umquam incendi sese ab alio nisi ab rege passus sit. Id etiam de isto equo memoratum est, quod, cum insidens in eo Alexander

5 bello Indico et facinora faciens fortia in hostium cuneum non satis sibi providens inmisisset coniectisque undique in Alexandrum telis uulneribus altis in ceruice atque in latere equus perfossus esset, moribundus tamen ac prope iam exsanguis e mediis hostibus regem uiuacissimo cursu retulit atque, ubi eum extra tela extulerat, ilico concidit et domini iam superstitis

10 securus quasi cum sensus humani solacio animam exspiravit. Tum rex Alexander, parta eius belli uictoria, oppidum in isdem locis condidit idque ob equi honores "Bucephalon" appellavit.

¹ Visum (est)

L'origine des animaux

Vt uero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a prouidentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera et arborum omniumque rerum, quae a terra stirpibus continerentur; quae quidem omnia eam uim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur. Idque semen inclusum est in intuma¹ parte earum bacarum, quae ex quaque stirpe funduntur, isdemque seminibus et homines adfatim uescuntur et terrae eiusdem generis stirpium renouatione conplentur. Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conseruationem earum generis appareat ? Nam primum aliae mares, aliae feminae sunt, quod perpetuitatis causa machinata natura est, deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae, et in mari et in femina commiscendorum corporum mirae libidines ; cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese eoque saeptum fingit animal.

Cicéron, *Sur la nature des dieux*, II, 51

¹ *Intuma* pour *intima*.

Sujet : **Le rat de ville et le rat des champs (Horace, *Satires*, II,6,80-98)**

Dans cette satire, Horace remercie Mécène de lui avoir fait don d'une propriété en Sabine en 33 avant J.-C. Il peint sa vie paisible à la campagne où les soirées se prolongent en causeries familières. Il donne alors la parole à son voisin, Cervius, qui, pour illustrer cet éloge de la vie rurale, raconte la fable du rat de ville et du rat des champs. En voici le début, qui raconte le séjour du rat de ville à la campagne :

- 80 Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
 accepisse cauo¹, ueterem uetus hospes amicum,
 asper et attentus quaesitis², ut tamen³ artum
 solueret hospitiis⁴ animum. Quid multa? Neque ille
 sepositi ciceris nec longae inuidit auenae,
 85 aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
 frustra dedit, cupiens uaria fastidia cena
 uincere tangentis male⁵ singula dente superbo,
 cum pater ipse domus palea porrectus in horna
 esset⁶ ador loliumque, dapis meliora relinquens.
 90 Tandem urbanus ad hunc "quid te iuuat" inquit, "amice,
 praerupti nemoris patientem⁷ uiuere dorso⁸?
 Vis tu homines urbemque feris praeponere siluis?
 Carpe uiam, mihi crede, comes, terrestria⁹ quando
 mortales animas uiuunt sortita neque ulla est
 95 aut magno aut paruo leti fuga : quo, bone, circa¹⁰,
 dum licet, in rebus iucundis uiue beatus,
 uiue memor, quam sis aeui breuis." Haec ubi dicta
 agrestem pepulere, domo leuis exsilit.

¹ *Cauo* : ablatif locatif (= *in cauo*)

² *Quaesitis* : au datif neutre pluriel, complément de *attentus* (« ce qu'il s'était procuré », « ses provisions »)

³ *ut tamen* : marque la conséquence avec une idée de restriction : « dans de telles conditions pourtant que... », « ce qui n'empêchait pas que... »

⁴ Datif pluriel : « pour... »

⁵ *Male* : « à peine »

⁶ La forme provient du verbe *edo*

⁷ *Patientem* : « en endurent des privations »

⁸ *Dorso* : ablatif locatif (= *in dorso*)

⁹ *Terrestria* : sujet (« les êtres qui vivent sur terre »)

¹⁰ *Circa* : joindre à *quo*

Dans la forêt de Marseille, un bois sacré qui inspire l'horreur aux animaux

Lucus erat longo numquam uiolatus ab aeuo,
obscurum cingens conexis aera ramis
et gelidas alte summotis solibus umbras¹.
Hunc non ruricolae Panes nemorumque potentes
Siluani Nymphaeque tenent, sed barbara ritu
sacra deum ; structae diris altaribus arae,
omnisque humanis lustrata cruoribus² arbor.
Si qua fidem meruit superos mirata uetustas,
illis et uolucres metuunt insistere ramis
et lustris recubare ferae ; nec uentus in illas
incubuit siluas excusaque nubibus atris
fulgura ; non ulli frondem praebentibus aurae
arboribus³ suos horror inest. Tunc plurima nigris
fontibus unda cadit, simulacraque maesta deorum
arte carent caesisque extant informia truncis.
Ipse situs putrique facit iam robore pallor
attonitos.

Lucain, *La Pharsale*, III, 399-415

¹ Le bois, de ses branches entrelacées, enveloppe l'air obscur, c'est-à-dire que l'épaisseur des arbres ne laisse pas pénétrer la lumière.

² *Humanis cruoribus* : allusion aux sacrifices humains en usage chez les Gaulois selon Lucain

³ *Praebentibus* se rapporte à *arboribus* : les arbres ne présentent leur feuillage à aucun vent.

Sujet : **Le poète Arion est sauvé par un dauphin**
(Ovide, *Fastes* II,95-106 ; 111-116)

Alors qu'Arion, poète devenu célèbre grâce à son art dans toutes les villes de Sicile, rejoint sa patrie, Corinthe, il est attaqué par l'équipage du bateau.

- 95 Inde domum repetens puppem conscendit Arion
 atque ita quaesitas arte ferebat opes.
 Forsitan, infelix, uentos undasque timebas :
 at tibi naue tua tutius aequor erat.
 Namque gubernator destricto constitit ense
- 100 ceteraque armata conscia turba manu.
 Quid tibi cum gladio ? Dubiam rege, nauita, puppem :
 non haec sunt digitis arma tenenda tuis.
 Ille¹, metu pauidus : « Mortem non deprecor, inquit,
 sed liceat sumpta pauca referre lyra. »
- 105 Dant² ueniam ridentque moram : capit ille coronam,
 quae possit crines, Phoebe, decere tuos. [...]
- 111 Protinus in medias ornatus desilit³ undas ;
 spargitur impulsa caerula puppis aqua.
 Inde (fide maius) tergo delphina⁴ recuruo
 se memorant⁵ oneri subposuisse nouo.
- 115 Ille, sedens citharamque tenens, pretiumque uehendi
 cantat et aequoreas carmine mulcet aquas.

¹ Désigne le poète Arion

² Sujet sous-entendu : « le pilote et ses hommes »

³ Sujet sous-entendu : « Arion »

⁴ *Delphina* est un accusatif grec, provenant de *delphin,-inis* M = dauphin

⁵ Sujet indéfini : « les gens », « on »

La métamorphose d'Arachné (Ovide, *Métamorphoses*, VI, 128-145)

Arachné est une jeune fille originaire de Lydie (en Asie Mineure) et célèbre dans l'art de tisser la laine. Elle a convoqué la déesse Minerve à un concours d'artisanat. La déesse a accepté le défi, mais elle est venue déguisée en vieille femme et a conseillé à sa rivale d'abandonner la partie. Mais Arachné a refusé et le concours a eu lieu : elle vient d'achever sa toile.

- Nexilibus flores hederis habet¹ intertextos.
 Non illud Pallas, non illud carpere Liuor
 130 possit opus: doluit successu flaua uirago²
 et rupit pictas, caelestia crimina³, uestes⁴,
 utque Cytoriaco radium⁵ de monte tenebat,
 ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes⁶.
 Non tulit infelix laqueoque animosa ligauit
 135 guttura: pendentem Pallas miserata leuauit
 atque ita « uiue quidem, pende tamen, inproba, dixit,
 lexque eadem poenae, ne sis segura futuri,
 dicta tuo generi serisque nepotibus esto ! »
 Post ea discedens sucis Hecateidos herbae
 140 Sparsit : et extemplo tristi medicamine tactae
 defluxere comae, cum quis⁷ et naris et aures,
 fitque caput minimum; toto quoque corpore parua est :
 in latere exiles digiti pro cruribus haerent,
 cetera uenter habet, de quo tamen illa remittit
 145 stamen⁸ et antiquas exercet aranea telas.

¹ Sujet sous-entendu : « La toile d'Arachné ».

² Désigne la déesse Minerve.

³ Arachné a représenté sur sa toile divers crimes commis par les dieux.

⁴ Désigne ici la toile tissée par Arachné.

⁵ Désigne ici la navette de tisserand.

⁶ Génitif grec de *Arachne*, -es F

⁷ *Quis* = *quibus*

⁸ Désigne la chaîne, c'est-à-dire le fil vertical du métier à tisser.

Sujet : **Dédale et Icare (Ovide, *Métamorphoses*, VIII, 203-220)**

Dédale a été chargé par Minos, roi de Crète, d'édifier une prison qui recevra le Minotaure. Dédale construit un édifice dont les voies d'accès et les couloirs sont d'une telle complexité que l'architecte lui-même manque de s'y perdre. L'œuvre achevée, Dédale veut regagner la Grèce, malgré la défense de Minos. Il fabrique des ailes pour lui-même et pour son fils Icare et lui donne ces conseils :

Instruit¹ et natum : "medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo, ne, si demissior ibis,
205 unda grauet pennas ; si celsior, ignis adurat :
inter utrumque uola. Nec te spectare Booten²
aut Helicen iubeo strictumque Orionis ensem :
me duce carpe uiam ! " Pariter praecepta uolandi
trahit et ignotas umeris accommodat alas.
210 Inter opus monitusque genae maduere seniles,
et patriae tremuere manus ; dedit oscula nato
non iterum repetenda³ suo pennisque leuatus
ante uolat comitique timet, uelut ales, ab alto
quae teneram prolem produxit in aera nido,
215 hortaturque sequi damnosasque erudit artes
et mouet ipse suas et nati respicit alas.
Hos aliquis tremula dum captat harundine pisces,
aut pastor baculo stiuauae innixus arator
uidit et obstipuit, quique aethera carpere possent,
220 credidit esse deos.

¹ Sujet sous-entendu : Dédale

² *Booten, Helicen* sont des accusatifs grecs. Ces constellations indiquent le nord.

³ « qui ne devaient pas se renouveler »

Sujet : **Difficiles conditions de vie d'un exilé sur les bords de la Mer Noire**
(Ovide, *Pontiques*, I,2 ,71-88)

Nescit enim Caesar¹, quamuis deus omnia norit,
ultimus hic qua sit condicione locus.
Magna tenent illud numen molimina rerum,
haec est caelesti pectore cura minor,
75 nec uacat in qua sint positi regione Tomitae
quaerere, finitimo uix loca nota Getae ;
aut quid Sauromatae faciant, quid lazyges acres
cultaque Orestae Taurica terra deae²
80 quaeque aliae gentes, ubi frigore constitit Hister,
dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, curat,
Roma, nec Ausonii militis arma timet.
Dant illis animos arcus plenaequae pharetrae
quamque libet longis cursibus aptus equus
85 quodque sitim didicere diu tolerare famemque
quodque sequens nullas hostis habebit aquas.
Ira uiri mitis non me misisset in istam,
si satis haec illi nota fuisset humus.

¹ Désigne ici l'empereur Auguste.

² Il s'agit de Diane, dont Oreste emporta la statue en fuyant la Tauride.

Les oies sacrées sont un danger public

Itaque ad casae ostiolum processi¹ cum ecce tres anseres sacri qui, ut puto, medio die solebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt foedoque ac ueluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem. Atque alius tunicam meam lacerat, alius uincula calcumentorum resoluit ac trahit; unus etiam, dux ac magister saeuitiae, non dubitauit crus meum serrato uexare morsu. Oblitus itaque nugarum, pedem mensulae extorsi coepique pugnacissimum animal armata elidere manu. Nec satiatus defunctorio ictu, morte me anseris uindicaui (...). Iam reliqui² reuolutam passimque per totum effusam pauimentum collegerant fabam, orbatique, ut existimo, duce redierant in templum, cum ego praeda simul atque uindicta gaudens post lectum occisum anserem mitto, uulnusque cruris haud altum aceto diluo. Deinde conuicium uerens, abeundi formaui consilium, collectoque cultu meo ire extra casam coepi. Necdum liberaueram cellulae limen, cum animaduerto Oenotheam³ cum testo ignis pleno uenientem.

Pétrone, *Satiricon*, 136

¹ Le narrateur, Encolpe, se fait appeler "Polyaenos" pour plaire à Circé.

² *Reliqui* : Les deux autres (oies).

³ Oenothée, une prêtresse censée guérir le narrateur de son impuissance.

La mouche et la fourmi

Formica et Musca contendebant acriter
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior .
« Conferre nostris tu potes te laudibus ?
Vbi immolatur, exta praegusto Deum,
moror inter aras, templa perlustro omnia ;
in capite regis sedeo, quum uisum est mihi ;
et matronarum casta delibo oscula ;
nihil laboro, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica ?
— Est¹ gloriosus sane conuictus Deum.
Sed illi qui inuitatur, non qui inuisus est.
Aras frequentas ! nempe abigeris quo uenis.
Reges commemoras et matronarum oscula !
Superba iactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras ! ideo , quum opus est, nil habes.
Ego granum in hiemem quum studiose congero,
te circa murum uideo pasci stercore.
Aestate me lacessis : cur bruma siles ?

Phèdre, *Fables*, III, 74, 1-18

¹ Est... marque le début de la réponse de la fourmi

Chèvres en liberté

Igneus aethereas iam Sol penetrarat in arcis,
candidaque aurato quatiebat lumina curru ;
crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat :
propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas
pastor, et excelsi montis iuga summa petiuit,
lucida qua patulos uelabant gramina collis.
Iam siluis dumisque, uagae iam uallibus abdunt
corpora ; iamque omni celeres e parte uagantes
scrupea desertae perrepunt ad caua rupis.
Tondentur tenero uiridantia gramina morsu,
pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
densaque uirgultis auide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
uel salicis lentae, uel quae noua nascitur alnus ;
haec teneras fruticum sentes rimatur ; at illa
imminet in riui praestantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
mente prius docta fastidiat, et probet illis
omnia luxuriae pretiis incognita curis,
quae lacerant auidas inimico pectore mentes.

Sujet : **Le perroquet d'Atedius Melior (Stace, *Silves*, II,4,1-18)**

Atedius Melior, le riche protecteur de Stace, vient de perdre son oiseau favori, un perroquet. Le poète déplore sa mort.

Psittace dux uolucrum, domini facunda uoluptas,
humanae sollers imitator, psittace, linguae,
quis tua tam subito praeclusit murmura fato?
Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti
5 nobiscum, et gratae carpentem munera mensae
errantemque toris mediae plus tempore noctis
uidimus. Adfatus etiam meditataque uerba
reddideras. At nunc aeterna silentia Lethes
ille canorus habes. Cedat Phaethontia uulgi
10 fabula : non soli celebrant sua funera cygni.
At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
conexusque ebori uirgarum argenteus ordo,
argutumque tuo stridentia limina cornu¹
et querulae iam sponte fores ! Vacat ille beatus
15 carcer, et augusti nusquam conuicia tecti.
Huc doctae stipentur aues quis² nobile fandi
ius natura dedit : plangat Phoebus ales,
auditasque memor penitus demittere uoces
sturnus.

¹ *Cornu*, -us N désigne ici le bec de l'oiseau.

² *Quis* = *quibus*

Le prodige de la laie miraculeuse

Dans l'Énéide, Virgile rapporte une prophétie selon laquelle une laie blanche aux trente porcelets indiquera à Enée où s'installer en Italie.

Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam
uicinosque, ignare, paras inuadere portus,
longa procul longis uia diuidit inuia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
et salis Ausonii lustrandum nauibus aequor,
infernique lacus, Aeaeaeque insula Circae,
quam tuta possis urbem componere terra :
signa tibi dicam, tu condita mente teneto :
cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
triginta capitem fetus enixa iacebit.
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati,
is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros ;
fata uiam inuenient, aderitque uocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram
proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
effuge ; cuncta malis habitantur mœnia Graiis.

Virgile, *Énéide*, III, 381-398

Le sacrifice animal dans la pratique divinatoire

Cicéron s'interroge sur la pratique divinatoire par sacrifice animal. Il se souvient du sacrifice réalisé par César peu avant de mourir.

Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse uis quaedam sentiens, quae est toto confusa mundo (...). Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento quod paulo ante interitum Caesaris contigit. Qui⁹ cum immolaret illo die quo primum in sella aurea sedit et cum purpurea ueste processit, in extis bouis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse ? Qua ille rei non est nouitate percussus, cum Spurinna¹⁰ diceret timendum esse ne et consilium et uita deficeret: earum enim rerum utramque a corde proficisci. Postero die caput in iecore non fuit. Quae quidem illi portendebantur a dis irnmortalibus ut uideret interitum, non ut caueret. Cum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus uictuma illa uiuere nequisset, intellegendum est in ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interisse.

Cicéron, *De la divination*, II, 23

⁹ César

¹⁰ Nom de l'haruspice

Comment interpréter l'action des rongeurs ?

Nos autem ita leues atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus ? Ante uero Marsicum¹¹ bellum quod clipeos Lanuui, ut a te dictum est, mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi uero quicquam intersit, mures diem noctem aliquid rodentes scuta an cribra corroserint ! Nam si ista sequimur, quod Platonis politian¹² nuper apud me mures corroserunt de re publica debui pertimescere, aut, si Epicuri de Voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore ! An uero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur ? Quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quicquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est, ut, etiamsi praeter consuetudinem extiterit, praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur inuestigato in re noua atque admirabili, si poteris.

Cicéron, *De la divination*, II, 27-28

¹¹ *Marsicum bellum* : la « guerre marsique », ou guerre sociale, opposa la République romaine et les alliés italiens entre 91 et 88 av. J.-C.

¹² *Politian* : terme grec qui désigne la *République* de Platon.

Le perroquet de Corinne

Le poète déplore la mort du perroquet de son amie.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit – exequias ite frequenter, aues !
Ite, piae uolucres, et plangite pectora pinnis
et rigido teneras ungue notate genas ;
horrida pro maestis lanietur pluma capillis, 5
pro longa resonent carmina uestra tuba !
Quod scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni,
expleta est annis ista querela suis ;
alitis in rarae miserum deuertere funus –
magna, sed antiqua est causa doloris Itys. 10
Omnes, quae liquido libratis in aere cursus,
tu tamen ante alios, turtur amice, dole !
Plena fuit uobis omni concordia uita,
et stetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico iuuenis Phoceus Orestae, 15
hoc tibi, dum licuit, psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides, quid rari forma coloris,
quid uox mutandis ingeniosa sonis,
quid iuuat, ut datus es, nostrae placuisse puellae ?
Infelix, auium gloria, nempe iaces ! 20

OVIDE, *Amours*, II, 6, vv. 1-20

Sujet : **Hécube transformée en chienne**
(Ovide, *Métamorphoses*, XIII, 558-575)

Hécube, la veuve de Priam, a été réduite en esclavage après la prise de Troie. Elle a perdu son mari, son fils Hector et sa fille Polyxène. Il ne lui reste plus désormais qu'un seul fils vivant, Polydore, qui a été placé chez le roi thrace Polymestor avec un grand trésor, en échange duquel le roi est censé le protéger. Mais elle vient de découvrir que son fils est mort et que Polymestor lui a menti. Hécube veut se venger. Pour cela, elle s'approche de Polymestor et, pour éviter d'éveiller sa méfiance, lui donne un nouveau présent.

« Per superos iuro »¹. Spectat² truculenta loquentem
falsaque iurantem tumidaque exaestuat ira
560 atque ita correpto captiuarum agmina matrum
inuocat et digitos in perfida lumina condit
expellitque genis oculos (facit ira potentem)
inmergitque manus foedataque sanguine sonti
non lumen (neque enim superest), loca luminis haurit.
565 Clade sui Thracum gens inritata tyranni
Troada³ telorum lapidumque incessere iactu
coepit, at haec missum rauco cum murmure saxum
morsibus insequitur rictuque in uerba parato
latrauit, conata loqui : locus exstat et ex re
570 nomen habet, ueterumque diu memor illa malorum
tum quoque Sithonios ululauit maesta per agros.
Illius Troasque suos hostesque Pelasgos,
illius fortuna deos quoque mouerat omnes,
sic omnes, ut et ipsa louis coniunxque sororque
575 euentus Hecuben⁴ meruisse negauerit illos.

¹ C'est Polymestor qui, parle, alors qu'il vient de recevoir le présent. Il s'adresse à Hécube et lui promet de le remettre à son fils.

² Sujet sous-entendu : Hécube

³ Il s'agit d'un accusatif grec provenant de *Troas, Troadis* F = la Troyenne (c'est-à-dire Hécube)

⁴ Il s'agit d'un accusatif grec provenant de *Hecube, Hecubes*.

Œuvre de la nature qui préside à chaque naissance humaine ou animale

Discours de Pythagore aux mortels, dans lequel il narre l'œuvre de la nature.

[...] eque¹ domo uacuas emisit² in auras.
Editus in lucem iacuit sine uiribus infans ;
mox quadrupes rituque tulit sua membra ferarum
paulatimque tremens et nondum poplite firmo
constitit adiutis aliquo conamine neruis.
Inde ualens ueloxque fuit spatiumque iuuentae
transit et emeritis medii quoque temporis annis
labitur occiduae per iter decliue senectae.
Subruit haec aeui demoliturque prioris
robora : fletque Milon senior, cum spectat inanes
illos, qui fuerant solidorum mole tororum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in speculo rugas adspexit aniles,
Tyndaris et secum, cur sit bis rapta³, requirit.
Tempus edax rerum, tuque, inuidiosa uetustas,
omnia destruitis uitiatique dentibus aeui
paulatim lenta consumitis omnia morte.

Ovide, *Métamorphoses*, XV, 220-236

¹ Reconnaître ici l'enclitique *-que* soudé à une préposition. Il vient d'être question des entrailles de la mère.

² Le sujet est *natura*.

³ Hélène, enlevée une première fois par Thésée et une seconde par Pâris.

Sujet : **Un chien de chasse extraordinaire**
(Quinte Curce, *Histoire d'Alexandre le Grand*, IX,1)

Au cœur de l'Inde, Alexandre est parvenu dans le royaume de Sophitès. Celui-ci veut montrer à Alexandre la vigueur de ses chiens de chasse.

Nobiles ad uenandum canes in ea regione sunt ; latratu abstinere dicuntur cum uiderunt feram, leonibus maxime infesti. Horum uim ut ostenderet Alexandro, in conspectu leonem eximiae magnitudinis iussit¹ emitti, et quattuor omnino admoueri canes, qui celeriter feram occupauerunt. Tum ex
5 hi, qui adsueuerant talibus ministeriis, unus canis leoni cum aliis inhaerentis crus auellere et, quia non sequebatur, ferro amputare coepit. Ne sic quidem pertinacia uicta, rursus aliam partem secare institit, et inde non segnius inhaerentem ferro subinde caedebat. Ille in uulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat : tantam in illis animalibus ad uenandum cupiditatem
10 ingenerasse naturam memoriae proditum est ! Equidem plura transcribo quam credo : nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi. Relicto igitur Sophite in suo regno, ad fluuium Hypasin processit².

¹ Sujet sous-entendu : Sophitès

² Sujet sous-entendu : Alexandre

Sujet : Il ne faut pas condamner trop sévèrement les hommes car, contrairement à certains animaux, ils sont capables de se corriger et devenir meilleurs (Sénèque, *De ira*, II,31)

Nefas est nocere patriae ; ergo cui quoque, nam hic pars patriae est (sanctae partes sunt, si uniuersum uenerabile est) ; ergo et homini, nam hic in maiore tibi urbe cuius est. Quid si nocere uelint manus pedibus, manibus oculi ? Vt omnia inter se membra consentiunt quia singula seruari totius
5 interest, ita homines singulis parcent quia ad coetum geniti sunt, salua autem esse societas nisi custodia et amore partium non potest.

Ne uiperas quidem et natrices et si qua morsu aut ictu nocent effligeremus, si in reliquum mansuefacere possemus aut efficere ne nobis aliisue periculo essent ; ergo ne homini quidem nocebimus quia peccauit, sed ne peccet,
10 nec umquam ad praeteritum sed ad futurum poena referetur ; non enim irascitur sed cauet.

Les oies du Capitole

Dum haec Veis³ agebantur, interim arx Romae Capitoliumque in ingenti periculo fuit. Namque Galli, seu uestigio notato humano qua nuntius a Veis peruenerat seu sua sponte animaduerso ad Carmentis saxo in adscensum aequo, nocte sublustri cum primo inermem qui temptaret uiam praemisissent, tradentes inde arma ubi quid iniqui esset, alterni innixi subleuantesque in uicem et trahentes alii alios, prout postularet locus, tanto silentio in summum euasere ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent. Anseres non fefellerent quibus sacris lunonis in summa inopia cibi tamen abstinebatur. Quae res saluti fuit ; namque clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante consul fuerat, uir bello egregius, armis arreptis simul ad arma ceteros ciens uadit.

Tite-Live, *Histoire romaine*, V, 47

³ Véies : toute proche de Rome, la cité étrusque de Véies accueillait de nombreux volontaires se préparant pour la défense de Rome menacée par les Gaulois.

Les éléphants d'Hannibal traversent le Rhône

Elephantorum traiciendorum uaria consilia⁴ fuisse credo; certe uariata memoria⁵ actae rei. Quidam congregatis ad ripam elephantis tradunt ferocissimum ex eis irritatum ab rectore suo, cum refugientem in aquam sequeretur, traxisse gregem, impetu fluminis in alteram ripam rapiente. Ceterum magis constat ratibus traiectos; id ut tutius consilium foret, ita ad fidem pronius est. Ratem unam a terra in amnem porrexerunt, quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus ualidis retinaculis parte superiore ripae religatam pontis in modum humo iniecta constrauerunt ut beluae audacter uelut per solum ingrederentur. Altera ratis huic copulata est; tum elephantis per stabilem ratem tamquam uiam ubi in adplicatam transgressi sunt, extemplo resolutis uinculis quibus leuiter adnexa erat uinculis, ab actuariis aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahebatur.

Tite-Live, *Histoire romaine*, XXI, 28

⁴ *Varia consilia* + gén. : divers plans, diverses idées pour...

⁵ *Memoria* : la relation, le récit